QUAEDAM DE PROSOPALGIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Luigi Barsan



QUÆDAM
DE
PROSOPALGIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINÆ LAUREAM

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

ASSEQUENDAM

EXHIBET

ALOYSIUS BARSAN

ARUPINENSIS



PATAVII

TYP. CARTALLIER ET SICCA

1838



Inter varias, quibus homo obnoxius est, neuralgias dirissima et tormentosissima ea est, quae a sede, quam tenet, dolor faciei, seu graeco nomine *prosopalgia* audit. Morbus, qui a variis auctoribus variis insignitus fuit denominationibus, antiquis haud cognitus videtur. Arabes Mesue, Abulkasis, Avicenna obscuram de illo sub raptus canini, torturae faciei, torturae oris nomine mentionem faciunt. Medici, qui Arabes subsequuti sunt, varias quidem neuralgiarum species animadverterunt et descripserunt, hanc vero cum diversis spasticis et convulsivis adfectionibus, praecipue cum spasmo cynico et cum trismo confunderunt. Temporum progressu morbus melius quidquam innotuit. Ludovicus illum dolorem acerbissimum superficialem periodicum compellavit, Hoffmann adfectionem spasmodico-convulsivam labiorum, Degner dolorem maxillae acerbissimum, van Swieten febrim typicam, Vogel rheumatismum cancrosum. Primus, qui medicorum attentionem sibi vindicavit, fuit Andrè, qui Parisiis anno 1766 nonnullas de hoc morbo, quem *tic douloureux* dixit, divulgavit, et exactam docuit inter spasmum cynicum et prosopalgiam differentiam. Sauvages *tic douloureux* denominationem in trismum dolorificum transmutavit. Anno 1766 Fothergillius, medicus Londinensis, adfectionem hanc ita exacte descripsit, ut ab eo inde

tempore dolor faciei Fothergillii nuncuparetur. Pujol optimam reliquit monographiam. Medici complures omnem postea ei navarunt operam, et ab omnibus aliis adfectionibus, quae quamdam cum illo ostendunt similitudinem, distinxerunt. Hartmann primus prosopalgiae nomine usus est, quod dein ab omnibus fere medicinae cultoribus accipiebatur, licet Chaussier *néuralgie de la face*, et Renauldin *neuralgiam facialem* dicant. Ultimis hisce temporibus Simon, Weisse, Swediaur, Sprengel, Reil, Swan, Méglin, Bellingeri, aliique multi perbene de ea loquuti sunt ita, ut non amplius cum aliis morbis confundi liceat. Hodierna itaque die, qua ad medicinae lauream obtinendam brevis mihi de qualibet re medica sermo coram vobis, amplissimi Professores et auditores humanissimi, habendus est, quaedam de hac neuralgiae specie disserere placuit. Res novas et magnas nolite expectare; mens juvenilis adhuc, experientia nulla: quapropter ingenii et experientiae defectum voluntas suppleat.

I.

Prosopalgia (a *πρόσωπον* facies, et *ἄλγος* dolor) est dolor plus minusve intensus, violentus, pungens, scindens, vel et lacerans aut rodens, acerbissimus, fugitivus, ex uno alterove ramorum facialium quinti aut septimi paris nervorum emanans. Chronicus plerumque esse solet, intermittens, et apyreticus. Comitatur utplurimum faciei musculorum convulsione et excessiva sensibilitate; accedit interdum ejusdem lateris ruboris et caloris augmentum.

Accessus, quamquam improviso plerumque incipiat, nonnunquam tamen a variis symptomatibus praenuntiari solet: a praecordiorum anxietate, a difficili respiratione, a suspiriis interruptis, a frigoris, pruritus et formicationis sensu, qui ad scalpendum invitat. Corrugatur supercilium, micant palpebrae, contremiscunt oculi; tensio quaedam percipitur ad palatum, ad nasum, et non raro febris etiam praecedit. Interea in quibusdam faciei punctis, in fronte, in gena, in maxilla vibrationes persentiuntur momentaneae, dolorosae, quae exinde veluti totidem radii in omnem directionem propagantur. Ab initio mites sunt, breves et limitatae, sensim sensimque increscunt, et sensationem gignunt, ac si carnes distenderentur, dilacerarentur, seu puncturis, ictibus electricis similibus, transfoderentur. Sub ulteriori morbi decursu violentissimus fit dolor, intolerabilis, et levissimo lateris adflicti attactu excrucians; rudiore vero et vehementiore pressione mitior evadit. Doloris atrocitas adeo interdum augetur, ut aegroti ad desperationem et furorem cogantur, vel capite vicinos muros allidant, mortemque a circumstantibus expetant.

Malo fortiter saeviente, musculi faciei imprimis levatores labii superioris, anguli oris, masseteres contremiscunt et convelluntur. Æger ob linguae quandoque paralysim verba proferre, manducare, deglutire, et collum movere nequit; effunduntur lacrymae, augetur muci nasalis et salivae secretio; venae jugulares expanduntur, carotides et temporales arteriae fortiter pulsant. In aliquibus prosopal-

giae casibus facies turget et rubet; frequentissime tamen latus faciei dolens pallescit sub insultu, et dum totum reliquum corpus frigescit, vultus naturalem saepe servat calorem. Observatae etiam fuere striae veluti vibices in fronte, in genis. Respiratio difficilis, inaequalis; pulsus nunc apyreticus et regularis, nunc frequens, nunc contractus, parvus. Non raro etiam convulsiones generales adsociantur.

II.

Dolor diversos quinti et septimi paris cerebralis ramos occupat, quare non eodem semper incipit loco, nec eandem semper observat directionem. Chaussier, prouti unum alterumve quinti paris ramum afficit, neuralgiam in frontalem, infraorbitalem et maxillarem distinxit, quibus Bellingeri illam nervi facialis addidit.

Neuralgia frontalis in ramo frontali haeret. Dolor a supercilio ad capitis verticem extensus, ab aegro ita persentitur, ac si pericranium avulsum esset; sed et palpebras et oculum per nervos communicantes corripit, et febrim intermittentem nonnunquam aemulans quotidianam periodum servat (Aretaeus, Chaussier, van Swieten, Siebold). Si vero nervi oculi adficiantur, sive ciliares, sive lacrymales, vel infratrochlearis propagines dein interiora oculi dolent, totus bulbus rubet, illacrymatur, tharsi grumis obducti inflammantur, et sic dicta ophthalmodynia in scenam prodit. Dum vero nervi nasales quinti paris sedem neuralgiae constituunt, haec sub adfectionis catarrhalis periodice recurrentis forma venit.

In neuralgia infraorbitali symptomata variant, prouti vel omnes, vel plures, vel aliqui tantum nervi hujus rami adficiantur. Dolor nempe vel ad foramen infraorbitale, vel ad os malae, interdum ad dentes ipsumque palatum saeviens, musculos labii superioris, nasi, palpebrarum, palati et pharyngis in motus convulsivos excitat, profluit frequenter saliva, vel mucus nasalis. Typus est anomalus, nonnunquam tamen regularis. Dicebatur quondam rheumatismus et febris intermittens faciei, odontalgia intermittens, etc.

In neuralgia maxillari dolor ex foramine menti emergens ad labia extenditur, cujus typus semper fere irregularis, quandoque intermittens observatur, et in lingua praecipue et dentibus saevit (Reil).

Neuralgia septimi paris apud Caelium Aurelianum sub nomine *raptus canini* occurrit. Haec neuralgiae species, quamvis a multis negetur, a Weisse tamen, a Thouret, Andrè, et a Bellingeri quoque observata est, cujus symptomata praecipua sunt: dolor totum capitis aut faciei latus occupans, imprimis in processu mastoideo, in occipite vel maxillae inferioris angulo saeviens, ad collum quandoque et claviculam sese extendens; spasticae adfectiones capitis, faciei et colli, trismum aut *torticollum* producentes; motus harum partium impediti et dolentes; corporis situs erectus difficilis; vox suppressa aut in sermocinationem altam erumpens; nonnunquam febris. Caeteroquin hujus speciei symptomata variant prouti nunc totum par septimum, nunc aliquae tantum ejus ramificationes patiuntur. Hujus

speciminis typus anomalus nunquam periodos servat regulares, et ejus insultus, minimo motu jam producendi, compressione nervi facialis ad foramen stylomastoideum facile retinentur, quamvis hoc in omni prosopalgia occurrere nequeat.

III.

In variis his neuralgiis dolor plus minusve circumscriptus est; nunc ramum unicum, nunc plures, nunc fere omnes ejusdem lateris propagines occupat. Latus faciei dexterum frequentius, quam sinistrum prehenditur, utrumque admodum raro eodem adficitur tempore. Hanc doloris in latere dextero frequentiorem invasionem Bellingeri ex eo pendere vult, quod rami dexteri paris quinti majores sint quam sinistri; Josephus Frank vero ab hepatis in latere dextero collocatione repetit. Utraque vero explicationis ratio firmo caret fundamento. Dolor observatus est etiam vagus et erraticus, et dum in latero dextero cessabat, in sinistro extemplo insurgebat.

Accessus breves esse consueverunt, et a minimis saepe intervallis distincti; consuetim aliquot minuta prima vel secunda, rarius mediam, rarissime integram horam perdurant. Sponte adgrediuntur et improviso, nonnunquam vero a tenuissimis causis excitantur, uti a risu, a sermocinatione, ab oscitatione, a levissimo faciei musculorum motu, attactu, a venti in facie spiramento, praecipue vero a masticatione, quare aegroti nunquam, nisi rabida fame coacti, comedunt; frequentiores sunt de die et vehe-

mentiores, quam noctu; sensim sensimque increscunt, et omnem tandem miseris abripiunt quietem.

Neuralgia haec decursum plerumque sequitur intermittentem irregularem; verum et periodica regularis observata fuit (Hildenbrand, Bellingeri). Quae ab initio atypicae erant, regularem interdum dein sequuntur typum, qui plerumque tertianus est, vel quotidianus (Bellingeri). Morbus fere semper chronicus est, et in annos protrahitur. Non desunt tamen casus, in quibus prosopalgia acuta etiam visa est. Palletta duos ejusmodi casus commemorat, in quibus dolores atrocissimi erant, et accessus ita frequentes, ut continuus quasi dolor videretur; accedebat febris gravis cum pulsu duro, pleno, cum siti, rubore faciei et tumore, cum convulsionibus generalibus et delirio. Methodo antiphlogistica generosiori tractabantur, ast octava die fato cesserunt. Sanguis e vena missus, uti in inflammationibus vehementioribus, crustam exhibebat altam et crassam.

Quo antiquior est morbus, eo longiores et vehementiores celebrare solet accessus; nonnunquam tamen per longum temporis intervallum accessus eandem conservare solent intensitatem; interdum etiam temporis progressu mitescunt, et rariores fiunt. Post varios paroxysmos aegroti tristes evadunt, morosi et quaerebundi; continuo affliguntur, et propria nonnisi valetudine occupantur. Societatem fugiunt, et ejus blanditiis non delectantur. Appetitus simul prosternitur, digestio languet, secretiones irregulares sunt, corpus emacescit, insomnia et vigiliae omnia haec mala exasperant. Dum accessus

rariores fiunt, aut per longum tempus silent, enumerata symptomata pedetentim mitescunt, vel et disparent; quod si vero eadem frequentia et ferocia perseverant, aegrorum vires sensim sensimque exhauriunt, et lento passu infelices ad marasmum, ad desperationem et mortem conducunt.

IV.

Praecipuae, quae cum prosopalgia confundi possunt, morborum formae sunt: hemicrania, odontalgia, rheumatismus faciei, adfectiones antri Hyghmori, trismus, spasmus cynicus, clavus hystericus, cephalea venerea. Principales nunc indicabo characteres, quibus unus ab alio distinguitur morbus.— In hemicrania internas magis capitis regiones occupat, et nunquam superficiales faciei nervorum ramos sequitur, desunt spasmi et convulsiones musculorum frontis, palpebrarum, oculi, genarum, etc. Odontalgia a dentium carie vel gingivarum inflammatione dependet; dolor est continuus, et post dentis adfecti extractionem silet; desunt motus convulsivi faciei, et adest gingivarum tumor, vel et maxillae aut alveolorum.— Rheumatismum faciei motus convulsivi nunquam comitantur; dolor remittit, non intermittit; molestior est noctu, quam de die, et sub rudiori pressione adaugetur.—In adfectionibus antri Hyghmori dolor est permanens, premens, magis extensus, et semper cum narium secretione mucosa cohibita incedit.— Trismus est simplex spasmodica adfectio, quae musculos maxillae inferioris orisque invadit, et infantes imprimis

adgreditur.—Spasmus cynicus, sive risus sardonicus nonnisi symptomata sunt diversarum viscerum abdominalium adfectionum, ut plurimum vero diaphragmitidis; hae convulsiones praeterea non sunt dolorificae. — In clavo hysterico dolor est fixus, aequalis, parum extensus, eodem semper loco limitatus, et punctum fere cranii occupans; non adest doloris irradiatio, nec faciei musculorum convulsio. — In cephalea venerea, seu in sic dictis doloribus osteocopis, dolor ossa cranii tenet; de die plerumque silere solet, noctu vero et praecipue post mediam noctem exasperatur.

V.

Causae praecipuae, quae huic neuralgiae praedisponunt, sunt: temperamentum sanguineum aut potius biliosum, compages firma cum eminente systematis venae portarum praedominio, habitus plethoricus; ast reliqua etiam temperamenta non immunia sunt. Caeteroquin viri haemorrhoidarii, viscerum abdominalium vitiis, rheumatismo chronico, ischiade, et morbis cutaneis adfecti, prosopalgiae obnoxii observantur. Foeminae temperamenti nervosi, hystericae, vitiis catameniorum, uteri aut mammarum laborantes huic morbo prae aliis subjectae sunt. Prosopalgia saepius occurrit inter divites, quam inter pauperes (Frank); Hartmann contrarium asserit; praediligit climata magis borealia, regiones frigidas et humidas; attamen nulla mundi plaga secura est.

Ante trigesimum quintum vel et quadragesimum aetatis annum raro morbus observatus fuit; atta-

men Méglin illum vidit in foemina 29 annorum, Leidenfrost in puella 19 annorum, Gunter in puero 9 annos nato, et Boyer in juvene 23 annorum, qui jam ab anno aetatis decimo septimo affectus erat; verum nullae aliae contra regulam generalem cognoscuntur exceptiones. Quoad sexum foeminas prae maribus prosopalgiae dispositas esse credebatur; huic opinioni vero non subscribunt nec Thouret, nec Bellingeri. Ex observationibus cl. Thouret constat, numerum virorum hoc morbo adflictorum ex duplo majorem fuisse. Bellingeri inter 40 casus illum in viris semel et vigesies observavit; Siebold inter 92 individua 54 foeminas hoc morbo laborasse asserit. Andrè, Thouret, Reil, aliique in eo conveniunt, ut nubiles facilius, quam conjugales, in neuralgiam hanc incidant.

Causae prosopalgiae occasionales sunt idiopathicae, sympathicae, vel universales. Ad idiopathicas recenseri merentur omnes potentiae traumaticae, quae nervorum ramos mediate aut immediate laedunt: pressiones, distensiones, vulnera; tubercula aut tumores, qui nervos comprimunt; angustia canalium osseorum, per quos nervi decurrunt (Thouret); vitia antri Hyghmori, corpora extranea quaecumque, quae nervos vellicant; mucus et sordes in sinu maxillari collectae; dens cariosus vel extractus; ossium vicinorum caries vel exostosis; refrigerium facie sudante captum, etc.

Sympathico modo agunt: vitia chronica viscerum abdominalium, vermes intestinales, infarctus viscerum abdominis, exanthemata et impetigines retro-

pulsae, suppressio podagrae aut alius adfectionis arthriticae, fluxus aurium cohibitus (Lentin), blennorrhoea suppressa aut male curata, fistulae et ulceris chronici praecox cicatrisatio, suppressio menstruorum, haemorrhoidum, aut aliorum habitualium profluviorum, etc. Vitia quaedam cerebri, cerebelli, medullae oblongatae vel spinalis, animi pathemata, moeror diuturnus, ira cohibita, terror, etc.

Ad universales pertinent: syphilis universalis, cachexia carcinomatica, et arthritis.

VI.

Dolor, de quo sermo est, sedem suam figit in nervosis diramationibus quinti aut septimi paris, quae in facie distribuuntur; quare merito neuralgiae faciei seu prosopalgiae nomine insignitus fuit. Argumentis sequentibus haec omnium fere auctorum sententia confirmatur: 1.° Doloris plus minusve intensi directio nervorum principalium decursui constanter respondet. 2.° Incisio rami principalis extemplo dolorem sedat, qui post cicatrisationem iterum comparet. 3.° Ramum nervosum adfectum comprimendo dolor cessat; compressione autem sublata, recrudescit. An neurilema, vel pulpa nervosa potius, aut unum et altera simul patiantur, arduum summopere est exacte distinguere; ex observationibus enim anatomico-pathologicis, nimis parco numero institutis, parum aut nihil innotescit, quapropter praecisa et generalia corollaria deduci adhuc nequeunt.

Verum, ut ad hujusce neuralgiae essentiam deveniamus, varia a variis auctoribus statuta est. An-

drè illam ex humore catarrhali aut pituitoso in nervorum ramis derivat; Fothergill acrimoniam cancerosam accusat; Pujol adfectionem spasmodicam credidit ex humorali quadam in nervis acrimonia; auctores Galli complures a morbose electricitatis fluido in nervis collecto deducunt; Longier ex vitio gastrico; Volger et Gmelin in chronica viscerum abdominalium obstructione ejus essentiam latere docent; Söemmering ex vitiato fluido nerveo; Dupont ex imminuta systematis nervosi vitali energia; Hartmann ex irritabilitatis in parte adfecta languore repetit. Hildenbrand neuralgiam hanc tamquam febrim intermittentem larvatam considerat; Langenbeck hysteriam localem dixit; Tommasini illam in lenta et subdola neurilematis inflammatione collocat; Anforni ab aucta sensibilitate repetit; Bellingeri prosopalgiam indolis nunc inflammatoriae, nunc nervosae, nunc irritativae esse adfirmat.

Omnes autem has diversas diversorum auctorum opiniones conciliando quadruplex prosopalgiae statui potest essentia; inflammatoria, nervosa, constitutionalis, et organica. Haec quadruplex hujusce neuralgiae essentia ex diversorum symptomatum, causarum, et therapiae, quae in variis acutoribus leguntur, consideratione profluit; in pluribus enim manifestus phlogisticus processus negari nequit; in aliis particularis notatur existentiae modus, qui nonnisi morbosae totius vel partialis systematis nervosi sensibilitati adscribi potest; alias prosopalgia praecipuum symptoma constituit morbosae alicujus generalis constitutionis; tandem in nonnullis casibus

nonnisi effectum sistit degenerationis organicae, in nervo affecto obtinentis.

Inflammatoria igitur illa esset prosopalgia, quae individua adgreditur robusta, sanguinea, post menstruorum, haemorrhoidum, aliarumque habitualium haemorrhagiarum suppressionem, quae a causa traumatica quacumque ortum ducit, quae exanthematum vel impetiginum retropulsioni debetur, quae refrigerio adscribenda est. Characteres generales sunt: facies sub accessu tumet, calet, et multum rubet; vasa sanguifera lateris adfecti turgent, pulsant; adest febris cum reliquis exaltatae vitalitatis phoenomenis.

Esset nervosa illa, quae accessus regulares periodicos celebrat (intermittens larvata Hildenb.); quae ab exaltata sensibilitate dependet totius systematis nervosi, vel potius nervi adfecti (hysteria localis Langenbeck); quae sympathicam agnoscit originem a vitiis cerebri, medullae vel viscerum abdominalium, a vermibus, a pathematibus; quae, ut Bellingeri ait, ignotae potius adhuc naturae est. Distinguitur ob habitum nervosum, faciem pallidam, typum regularem, pulsuum conditionem spasmodicam; mitescit dolor sub compressione; praeterea symptomata adsunt vitii alicujus, quod consensuali vel antagonistico modo cum nervis faciei in nexu est.

Constitutionalis illa esset, quae a generali syphilitica labe, arthritica aut carcinomatosa repeti debet. Characteres, quibus distinguitur, sunt: symptomata arthritidis generalia, syphilis praegressa vel non perfecte sanata, vel una coëxistens, adfectiones carcinomatosae in aliis corporis partibus, scirrhus

uteri, mammarum, ulcus carcinomatosum in facie, in lingua, etc.

Organica tandem esset illa, quae organicae nervi affecti alterationi tribui debet ab exitu praegressae inflammationis, vel cujuscumque processus morbosi, quaeque nonnisi auxilio chirurgico curari potest. Noscitur ex absentia symptomatum aliarum specierum, vel ubi in parte adfecta sub attactu ganglia, nodi, tumores, cicatrices distinguuntur, et ubi omnia remedia, chirurgicis forsan exceptis, incassum in auxilium vocantur.

VII.

Prosopalgia difficilis curationis est morbus, qui, quin longaevitati obstare soleat, miseros interdum, omnibus artis auxiliis irritis, per plures annos aut ad vitae finem usque excruciat. Sponte quandoque sanatur (Sauvages); in plerisque tamen casibus artem in auxilium vocet opus est; et eo difficilius morbus sanatur, quo antiquior est.

Neuralgia facialis in exortis evacuationibus, e. g. in dysenteria, in regulari haemorrhoidali fluxu, in materiae puriformis vel mucosae excretione, signum sanationis ingruentis saepe agnoscit; nec desunt casus, ubi podagrae regularis accessus et decursus, vel rheumatismus in artubus apparens levamen, sive plenariam hujus adfectionis medelam induxerunt. Quod exanthemata aut impetigines retropulsae, furunculi aut ulcera, in collo aut in loco dolente revocata, saepissime in aegri salutem cedere valeant, ab André, Weisse, Bellingeri manifestis observatio-

nibus confirmatur. Sed ob dolores vehementissimos ac frequentissimos, functionumque plurium turbas, quas neuralgia inducit, morbus hic merito ad molestissimos et lethales adnumeratur.

Morbus transit in partis adfectae hemiplegiam, aut in musculorum partium vicinarum resolutionem, uti linguae, pharyngis, et inde in impeditam loquelam, deglutitionem; nunc in spasmum permanentem; nunc in chronicum tumorem oedematosum lateris adfecti, aut in ejusdem atrophiam, in cancrum insanabilem, epiphoram chronicam, aut ptyalismum chronicum.

Morbus in longum productus totum afficit systema nervosum, mutatque integram corporis constitutionem, et imprimis viscera abdominalia ita patiuntur, ut digestio labefactetur. Infarctus viscerum eorundem, alvi obstructio pertinax, in quibusdam asthma, in aliis memoriae et judicii lapsus, hypochondria, melancholia, tristitia, anxietas, pervigilium incedunt; enascuntur etiam cachexiae variae, uti hydrops, athrophia corporis consociata.

Neuralgia, quae ex vitio occulto encephali provenit, immedicabilis est. Constat experientia multiplici, morbum facilius sanari in viris mediae aetatis, quam in foeminis adultioribus; facilius typicus, quam atypicus; facilius phlogisticus, quam nervosus; difficilius sanantur constitutionales et organici.

Momentum in prognosticando dignissimum est causae occasionalis consideratio, ut, quo longiori tempore, et quo constantius et intensius haec agit,

eo minor sit sanationis spes; hinc prognosis mala, ubi a syphilide inveterata aut ab ossium vicinorum carie, aut carcinomate vel arthritide morbus sustinetur; melior vero, si a nervorum laesione, a refrigerio etc. derivetur. Cum prosopalgia ad morbos in genere periodicos spectet, probe cavendum est, ne intervallum liberum, solito diutius protractum, pro perfecta sanitate credatur.

VIII.

Prodigiosus remediorum, quae contra hunc dirissimum morbum absque desiderato effectu ab omnis aevi medicis adhibita fuerunt, numerus, eos therapiam empiricam magis, quam rationalem sequutos esse, demonstrat. Optima igitur via, quae ad illius medelam nos ducere videtur, in variarum hujus morbi modificationum cura consistit; hinc qui varios prosopalgiae perpenderit fontes, specificum contra illam dari non posse intelliget, et persuasum simul habebit, cur eadem pharmaca nunc salutaria, nunc perniciosa fuerint.

Cum morbus, de quo loquimur, periodicus sit, integra therapia in duas partes secedat opus est, in tractamen scilicet ipsius insultus, et in illud totius morbi. Quod primum attinet remedia admodum variant pro variis modificationibus ita, ut nunc pressio et frictio violentior, nunc localis sanguinis evacuatio, nunc topica frigoris adplicatio, nunc stimulantia volatilia, nunc narcotica etc. ad paroxysmi atrocitatem mitigandam adhiberi debeant.

Quoad totius morbi tractamen medicus solertem imprimis in eruenda et amovenda, quae morbum

produxit vel adhuc sustinet, causa navabit operam, et dein in morbum ipsum aget. Pro varia igitur causarum indole, diversa quoque huic scopo remedia adcommodanda sunt. Ubi corpora peregrina morbi fomitem praebent, haec, quousque licet auferenda; tumores pro varia eorum indole tractandi vel evellendi; dentes cariosi extrahendi; antrum Hyghmori ab incrassata pituita vel aliis peregrinis liberandum; exostotes, tophi, nodi arthritici in parte dolente debitis remediis debellandi; impetigines aut exanthemata retropulsa, vel profluvia habitualia suppressa revocanda; rheuma, arthritis, syphilis, viscerum infarctus, saburrae, vermes remediis congruis impugnandi, etc.

Altera indicatio morbum ipsum respicit; verum ut hac in re certo quodam ordine procedamus varias therapiae methodos, quae memoratae prosopalgiae divisioni in inflammatoriam, nervosam, constitutionalem et organicam conveniunt, indicabimus. Ante omnia tamen hanc curae partem multis saepe saepius premi difficultatibus monendum venit.

In prosopalgiae inflammatoriae cura medicus inflammationis gradum et extensionem respicere, et utrique remedia antiphlogistica, quin simul status systematis sanguiferi universalis negligatur, apponere oportet. Ad remedia antiphlogistica praeter venae sectionem, hirudines loco adfecto adplicandas, atque scarificationes in nucha, illa nonnisi numeramus, quae praecipuum exserunt effectum antiphlogisticum, uti: nitrum, calomel, acida mineralia diluta, sales medii, etc. Haec generalis tamen anti-

phlogistica methodus modificari debet secundum ipsius causae occasionalis indolem; sic e. g. si prosopalgia a causa traumatica pendet aut a vulnere, topica magis hirudinum et frigoris adplicatio convenit; margines vulneris remoti a se invicem teneantur, ne cicatrix nimis cito, nec ad spatium minus restrictum fiat, quia nervus, tum fere incarceratus, sub omni faciei musculorum motu dolorificam induceret tensionem; si neurilema aut pulpa nervosa laesa est, perfecta nervi vulnerati discissio ante vulneris sanationem praemittenda erit; ubi corpora peregrina absque conspicua laesione nervos faciei vellicant, methodus antiphlogistica plus minus extensa sit, prouti nempe statum irritativum aut inflammationem induxerint. Si a causa rheumatica dependet, methodo leniter antiphlogisticae copulantur optimo cum effectu antimonialia, tart. emet. refracta dosi, kermes, sulfur auratum, vel sola, vel extracto acon. napel. nupta, eo scopo, ut diaphoresis promoveatur. Si a retropulsione exanthematum vel impetiginum derivat, tunc epispastica, revellentia, irritantia ad sedem morbi primariam adplicentur: unguentum stibiatum, sinapismi, vesicantia, fonticuli, etc. Ad revocandas suppressas haemorrhagias habituales topica in consuetis profluvii locis hirudinum adplicatio, emollientia, calor etc. praeter methodum generalem antiphlogisticam suggeruntur.

Attamen non raro evenit, ut, praemissa etiam antiphlogistica therapia, neuralgia non sileat; ad quam sedandam ad nervina confugendum est. In

hujusmodi enim neuralgiis duo praecipue momenta morbosa consideranda veniunt: irritatio nempe phlogistica, et excessiva sensibilitas. Primam methodus antiphlogistica aufert; qua devicta, sensibilitas nimia superstes medicamentis superanda est nervino-sedantibus: e. g. aqua lauro cerasi, hyosciamo, belladonna, stramonio, cicuta, aconito, etc. Eodem etiam scopo his ultimis temporibus ab Hutchinson carbonas ferri propinabatur, vel et acetas morphii, qui parti adfectae confricatur, vel melius cuti, vesicantis ope in brachio, in nucha denudatae, admovetur.

Neuralgiae nervosae, quae excessivae nervi sensibilitati tribuenda est, nervino-sedantia opponuntur; quibus praeter enumerata recenseri etiam debent: inunctiones cum oleo hyosciami, terebinthinae, cum petroleo, cum alcali volatile, balsamo Opodeldoc, etc.; interne propinentur pulveres Doweri, reliqua opiata, moschus, valeriana, asa foetida, et s. p. Indicata etiam sunt nervino-tonica in iis individuis praecipue, quorum constitutio physica debilis est et phlegmatica, et essent: praeparata martialia, amara, amaro-aromatica, cinchonacea, castoreum, camphora, liquor anodynus Hoffmanni, et caetera. Nervosa haec adfectio si typum regularem servat, et larvam quasi febris intermittentis constituit, bono cum effectu cortice peruviano tractata fuit. Ubi prosopalgia nervosa sympathicae est originis, et a viscerum abdominalium obstructione, a saburra, a vermibus, ab uteri laesione dependet, therapia in auferendis his morbis versetur, et neu-

ralgiam simul respiciat; quapropter therapiae solventi, purganti, anthelminthicae etc. nervina quoque adsociari oportet. Prosopalgia, quae ab animi pathematibus provenit, maxima ex parte cum totius systematis nervosi perturbatione incedere solet, quae proinde sanatu perdifficilis evadit. Conveniunt hoc in casu animi imprimis serenitas, et dein alterantia: flores zinci, valeriana, cuprum ammoniacale, prussias ferri; sed his remediis debite etiam adhibitis, raro ad sanationem hae neuralgiae perducuntur, et omnibus fere reniti solent artis conatibus. Eo tempore, quo laminis magneticis ad omnium fere neurosium curam utebantur, magnes et magnetismus contra hanc etiam propositi sunt, et ab initio sat felices praedicabantur effectus. Posteriora vero pericula hos effectus haud confirmarunt, et prosopalgiae, quae victae credebantur, in scenam iterum prodierunt.

Prosopalgia constitutionalis, quae nempe ab universali organismi dyscrasia provenit, nisi labes generalis prius auferatur, debellari nequit; quare syphilis generalis, arthritis, carcinoma methodis antisyphilitica, antiarthritica, anticarcinomatosa pertractanda sunt. Verum ne simplicis et brevis dissertationis limites transgrediantur, has methodos, quae caeteroquin in omnibus fere auctoribus legi possunt, hic tantum indicasse sufficit.

Quod si autem prosopalgia ab organica nervi alteratione dependet, nullo alio modo, quam nervi ipsius sectione aut cauterisatione curari potest. Nervi incisio saeculo praeterito a chirurgis Gallis Louis,

Thouret, Sabatier, aevo nostro a Lentin, Langenbeck, Klein, Palletta, Bellingeri, aliisque multis commendatur.

Feliciorem operationis eventum sperare licet, ubi neuralgia faciei topicum, in organisationis nervi aut partium vicinarum vitio haerens, malum sistit; ubi unicus nonnisi nervorum facialium ramus affectus est, nec non nervus affectus ad amussim determinari et cultro attingi potest.

Haec operatio institui licet in ramis tantum quinti paris, nunquam vero nervi facialis truncus secandus est, quia arteriae carotidis adest laesionis periculum, et quia musculorum faciei ejusdem lateris paralysis operationem sequeretur. Momenta contraindicantia sunt: cachexia universalis arthritica, carcinomatica, syphilitica morbum producens aut sustinens; qua praesente, vulnus operatione productum, in ulcerationem malae notae, cancrum apertum, aliasve devastationes organicas transire minatur; caeteroquin etiam si omnia haec non timenda essent, operatio, morbi fomite nondum extincto, et eumdem morbum in alia faciei parte, aut aliam periculosiorem adfectionem, imo lethalem in cerebro, pulmonibus, aliisque visceribus nobilioribus provocante, inutilis evaderet.

Nervi discissio alterationem organicam inter et encephalum fiat, numquam vero illam inter et reliquos nervi surculos, quia dolor aut non cessaret, aut brevi tempore rediret. Ad praecavendam nervi incisi cicatrisationem, quae forsan doloris regressum faveret, aliquam nervi ipsius portiunculam ex-

portare suadetur. In instituenda hac operatione attendendum est, ut secunda incisio ramos, minime vero encephalum respiciat, et hoc eo scopo, ut dolor excessivus, qui certe provocaretur, evitari possit. Minus dolorosum est etiam nervi portiunculam auferre, quam incisas nervi extremitates cauterio urere.

Verum ex observatis constat, operationem hanc, ut alia quaevis remedia, quandoque absque effectu institutam fuisse, nec non ulcera et foedas faciei cicatrices reliquisse.

